



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

v [i.e. iii]. Posito autem, differentias has includere rationem entis, adhuc id non obstat univocationi entis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

quartò, perfectam, cum sit principium simplex differendi (quod omnibus differentiis commune est) non constare genere, adeoque propriè definiri non posse, sed dici independentiam ab alio. Sequitur quintò: ad hoc, ut quid sit objectum intellectus, non requiri, ut sit ens ex modo cognoscendi, sed ad summum, ut sit ens ex parte rei conceptæ. Deniquè *Ens*, ideo non dici prædicatum transcendens, quasi nihil posset concipi, nisi sub ratione entis, sed quia est prædicatum universalissimum conveniens realiter rebus omnibus.

III. Jam verò gratis dato, a seitate & ab aeleitatem, perfectam & inaleitatem, differentias Dei & creaturæ, substantiæ & accidentis constitutivas, esse formalissimè ens, & simul formaliter inter se diversas, adeoque substantiã ab accidente differre per aliquid, quod formalissimè sit ens, & consequenter rationem entis, ut imbibitam in perfectate, differre à ratione entis ut imbibita in inaleitate, (cuius contrarium est in aliis univocis, v. g. animali respectu hominis & equi, qui differunt per aliquid, quod formaliter non est animal, & in quibus, dum animal contrahitur, non
per

perficitur per aliquid, quod formaliter est animal) id tamen adhuc non obest univocationi. Ad eam enim sufficit quod ratio per nomen significata, quatenus per nomen significatur, sit omnino eadem; sicut sufficit ad æquivocationem, ut rationes per nomen significatæ, quatenus per illud significatæ, sint diversæ, non obstante, quod eadem rationes per aliud nomen significatæ sint eadem. V. G. Galli avis, & Galli hominis significatorum per nomen animalis: sed ratio entis per nomen ens significata, quatenus per illud significata (quæ est ratio entis abstracta à differentiis, quæ non significantur nomine entis) est eadem: ergo, licet ratio entis contracta & significata nomine differentiarum non sit eadem, id tamen non impedit, quò minus ratio entis abstracta, seu in statu præcisionis, & nomine entis significata, sit eadem. Similiter licet hæc formalis transcendencia impediatur compositionem (de essentia enim cuiusvis extremi componentis est, distingui inadæquatè à composito, seu non dicere totum illud, quod dicit compositum, quod in præsentis non fieret, cum quod dicit substantia, id totum dicat, perfectitas

feitias, differentia substantiæ) non impedit tamen univocationem, ad quam sine fundamento requiritur hæc compositio. Unde dictum illud Arist. *impossibile est ens esse genus, eo quod qualibet differentia inferior necessario sit ens?* sic est intelligendum; quod ens non possit esse genus prædicamentale, quia transcendit omnes omnium prædicamentorum differentias (non quidem transcendencia formali, sed materiali, id est, possit prædicari de omnibus differentiis materialiter acceptis) quod non possunt alia genera.

IV. Neque dependentia creaturæ à Deo, aut accidentis à substantia impedit univocationem entis. Dependentia enim vel independentia inferiorum entis non includitur in ratione entis præcisa (nam aliàs secundum nostrum concipiendi modum ens indifferens non esset, ut contrahatur ad Deum vel creaturam &c. utpote quod includendo dependentiam, non posset contrahi ad Deum, cui nihil includens dependentiam, aptum est inesse) neque per nomen ens significatur; nulla autem diversitas tollit univocationem aut unitatem conceptus, nisi illa diversitas explicitè per ipsum conceptum repræsentetur.

Præ-